



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Aibertvs Reclusus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

Landelino autem qui fuit quatuor Monasteriorum vi-
delicet Laubiensis, Alnensis, Crispiniensis & Waslerensis
fundator. Plura vide apud Miræum in fastis ad diem 15.
Iunij Molanum in Natalibus, & Surium Tomo tertio ad
eandem diem.

A I B E R T V S

Reclusus.

2. Maij. **I**S in territorij Tornacensis pago, quem Espeen vocant,
originem duxit, & adhuc puer varia de se futuræ sancti-
tatis iudicia præbuit, clam noctibus ad preces surgens,
terram exosculans frequenter Ecclesiarū limina terens,
ieiunia sibi indicens parum tamen degustans, ut interro-
gatus verè diceret se comedisse. Iuuenis audiens cantio-
nem de conuersione S. Theobaldi, neque carne, neque
fanguine, neque lneis pannis vti deinceps statuit, sed
charitatis foodere vngitur, magnæ sanctitatis & abstinen-
tiæ Ioanni Crispiniensi Monacho, qui permisso Raineri
sui Abbatis defertum incölebat locum, vbi vterque adeo
ieiuniis, vigiliis, precibus, & frigore macerabantur ut hu-
manam speciē propemodum non referrent. Rainerus au-
tem Abbas ob monasterij libertatem Apostolorum lumi-
na visitans, hos Comites assumpsit. Qui Romam vene-
runt nudis pedibus vestiti cilicio, parum pecuniæ haben-
tes, ipsâ inopiâ locupletes. Cumq; Urbanus Beneuenti es-
set, vterque Raineri redditum, eo quod viribus deficerent
in Vallis Vmbrosæ Monasterio, vbi canon S. Benedicti
strictè obseruabatur præstolati sunt. Reuersus autem Ai-
bertus ad suam eremum non multo post per visionē mo-
nitus, factus est Monachus Crispiniensis, deinde Præpo-
sus & Cellarius. Tandem autem a Lamberto Abbatे opta-
tam ip

tam in eremo obtinuit cellulam, manens interim sub potestate Abbatis; in qua viginti quinq; annis cū incredibili abstinentia permanxit inclusus. Cum autē acolythus esset, de Sapientium consilio à Burchardo Cameracensi Episcopo ad sacerdotium promotus est, vt populis ad ipsum venientibus melius possit consulere, & familiarius secretas confessiones recipere. Factus autem Presbiter duas in die celebrabat Missas, pro viuis vnam, pro defunctis alteram, pecuniam accipere haud aliter atque serpentinum virus abhorrebat, Mandato Paschalis Papæ per Odunium Abbatem S. Gisleni, & Innocenti Papæ confessiones ad se venientium alacriter audiuit. Venerunt autem non solum illiterati & vulgares, sed Archidiaconi, Abbates, omnis generis Religiosi & docti, nobiles utriusq; sexus. Tantaque plerumq; hominum multitudo, vt videretur veluti urbs ab hostibus obsessa. Plerique qui proprius recedebant, eo rentente, vestem eius lacerabant, & partes auulsa pro reliquijs asportabant. Quantos ille Manipulos secū ad Christi tribunal feret. Inter quod erit ioculator ille, cuius olim cantilena ad arctam viam inflammatu fuit. Peractis itaque annis plus minus quinquaginta in Monachi habitu obdormiuit in Domino, ipso sacratissimo die Paschæ ad septimum Idus Aprilis, paulo ante ab Engelberto Priore sacro Oleo uictus & diuinâ Communione munitus, die tertio sepultus ab Abbatibus, Crispinij & S. Amandi, eodem in loco, ubi cellula fuerat, ubi eius meritis & precibus, cgris & piè postulantibus multa præstantur beneficia. Crispinienses autem etiā in Aprili notatum habeant. *Obiit dominus Albertus inclusus*, inuocant tamen eum in Litaniis suis, & ex auctoritate Episcopi Cameracensis qui Oratorium in quo requiescit Kal. Maij dedicauit, festumq; eius postridie ex Crispinio venientes annuē ibi celebrant.

C 3

ALANVS